

is deliberantium, & confabulantium habitus est. Adeuntes amicos salutant inepto risu; saepius ho, hho, hhho, conclamantes. Cum vescuntur, potum dapibus non intermiscent, neque identidem bibunt; sed semel tantum, sumpto cibo. Qui amicos convivio accipit, cum iis neque accumbit, nec ciborum partem ullam attingit, sed epulantibus dividit: aut, si quem adhibet structorem, sedet seorsum jejunus, & spectat. Inter edendum silent: salem aversantur, & condimenta: offa canibus projicere piaculum arbitrantur: igni cremant, vel terrae infodiunt. Si enim, inquiunt, urfi, fibri, & aliæ, quas venando captamus, feræ, offa sua permitti canibus, & comminui, rescirent; non tam facile capi se paterentur. Adipem è pinguibus collectum cibis, abstergunt coma; genis interdum brachiisve allinunt, elegantiae, ut aiunt, causa, & valetudinis: nam adipè non solum nitere cutem, sed corroborationi membra existimant. Non alio cibo vescuntur libentius quam Sagamita. Pulmentum est è farina, præfertim Indici tritici, confectum: admisto, quod illis condimentum præcipue sapit, oleo. Itaque in conviviis pars dapum prima oleum, aut adeps, in quem concretum & spissum ita dentes infigunt, ut nos in panem aut pomum. Antequam illis lebetes, cornuae, aliaque id genus vasea ærea deferrentur è Gallia, utebantur cacabis è cortice compactis; verum quia imponi flammis non poterant impunè, hanc ad coquendas carnes artem excogitaverant. Silices plurimos